



Heroicarvm Et Ecclesiasticarvm Quaestionvm Libri VI.

Sex libris prioribus universa Regalium, Iurisdictionis Ecclesiasticorum
Temporalis Et Constantinianae Donationis ratio discuritur ... contra
profanas & vanas cuiusdam Bodini novitates

De Satvrnino Permvttationis Beneficialis (Etiam Triangvlaris) - iure
Commentarius ad omnes Pontificum Constitutiones hûc pertinentes;
contra sceleratas & impias Ecclesasticorum beneficiorum mundinationes &
heriditarias quasi successiones

Epo, Boetius

Duaci, M.D.LXXXIIX.

Ex Cap. licèt. vnic. de rer. permut in 6.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61721)

quæstiones, quas, ne nimium simus in hunc locum prolixi, discutiendas nobis referuamus in d. capit. vnic. de rer. permutat. Bonifacianum. quod & aggrediamur.

CAP. LICET. vnic. de rer. permut. in 6.

Bonifacius octauus Biterensi Episcopo.

Licet in tua diocesi aliqui auctoritate apostolica beneficia proximè vacatura expectent, illos tamen qui secundum formam iuris sua beneficia in eadem diocesi ad tuam collationem spectantia permutare volentes, liberè ac sine fraude in manibus tuis ipsa resignant; Nolumus occasione premissa (æquitatem præferentes in hac parte rigori) circa faciendam permutationem beneficiorum huiusmodi (quæ alias minimè resignassent) vllatenus impediri.

Perneccessaria fuit hæc Bonifaciana constitutio permutationibus beneficialibus aduersus expectatiuas quæ dicuntur gratias munientibus. Nam cum permutatio beneficiorum fieri nequeat absque resignatione mutua (c. cum olim & c. cum vniuersorum. de rer. permut.) sequitur vt beneficia sic resignata verè vacent; cui consequens fuit vt ab expectantibus istis quibus beneficia primùm vacatura debebatur facile præoccuparentur, neque compermutantibus ab ordinario hinc inde conferri possent. Quod quia durum fuit permutantibus ita suis beneficiis excidere præter omnem & spem & expectationem & quidem citra delictum profus vllum quando consensus Episcopi talibus permutationibus accesserat, æquissimo iure

g ij consti-

168

Contra gratias expectatiuas.

169

Verè vacare beneficium ex causa permutationis resignatum.

170

*Arg. cap. v-
nici de rer. per
mut. in 6.*

constituit hic Bonifacius 8. ne permutationes huiusmodi per istos expectantes amplius impediretur. Alioqui Pontifex ut ac tanquam Summus omnium bonorum ecclesiasticorum, sicut & ecclesie totius, moderator, de beneficiis ecclesiasticis per uniuersum orbem Christianum fitis disponere potest, non tantum vacantia conferendo verumetiam ius in vacaturis tribuendo. c. 2. §. de prebend. Quae quidem res plurimos ubique terrarum prouocare solet homines ambitiosos ad importunissime gratias istas à Pontificibus optimis extorquendas, non sine grauissimis ordinariorum Collatorum querelis: quae tandem effecerunt ut nouissime sacrosanctum Concilium Tridentinum sess.

171

*Concilio Tri-
dent. gratia
expectatiue
prohibita.*

24. cap. Reform. 19. decreuerit, gratias istas expectatiuas & ad beneficia vacatura nemini amplius concedi, nec hactenus concessis cuiquam uti licere: quemadmodum & olim ab hoc ipso Bonifacio promissiones omnes aliorum quorumcumque Collatorum de beneficiis vacaturis conferendis reprobatae fuerant. cap. detestanda, §. de concess. prebend. Non dico, vel Pontificem vel ullos alios Collatores ante Concilium Tridentinum beneficia vacatura conferre cuiquam solere per gratias istas expectatiuas vel per promissiones vel aliter, sed vacatura vel promississe vel addixisse conferenda tunc ubi vacauissent; quandoquidem ne beneficia conferrentur absolute priuquam vacarent, antiquissimo semper iure prohibitum fuerat, Concilio Lateranensi repeti-

172

*Promissiones
beneficiorum
vacaturorum
iam olim re-
probatae.*

tum & inculcatum c. 2. totoque tit. de concess. præbend. & eccles. non vacant. c. audiimus. 3. q. 2. & c. non furem. 7. q. 1. similibusque locis de viui successione loquentibus. Ac licet à gratis talibus expectatiuis nunc amplius periculum non sit Collatoribus ordinariis quamdiu Concilij Tridentini decreta vigent vel absoluta potestate sua Põtifex non vitur, nominationes tamen Vniuersitatum facessunt adhuc eis negotium Concilio Tridẽtino non reuocatae sess. 25. c. Reform. 9. contra quales nominatos an & hæc Bonifaciana valeat, paulò post oportuniùs quæretur in singulis huiusce c. clausulis excutiẽdis quas ordine persequamur.

Ait Pont. *beneficia proximè vacatura expectent.* Igitur expectantes alioquin huiusmodi, ceteris omnibus præter permutantes erant in beneficiis vacantibus adipiscendis præferendi. quales quidem si fuerint numero plures, qui prior est tempore potior est iure c. quia sæpè dubitatur. s. de præbend. quæ tamen regula frequenter inter eos fallit: vtpote si vel negligens fuerit prior in petenda præbenda primùm vacante c. si clericus. s. de præbend. vel prior præbendam solã expectet, secũdo dignitatem & præbendã expectante, ac postea vacet præbenda quæ dignitati sit annexa d. c. quia sæpè dubitatur. s. de præbend. vel gratia prioris reuocetur propter secundũ c. quodã per literas. penul. s. de præbend. vel denique postremus ordine prærogatiuam habeat à Põtifice, quemadmodũ luculẽto & elegãti docet exẽplo Bonifacius

g iij hic no-

173

Priusquã vacarent beneficia conferri nunquam lib. c. uis.

174

Vniuersitatis nominationes Ordinariis collatoribus permolesta.

175

Expectantes omnibus præferendi.

176

Postiores quando prioribus præferantur.

hic noster in capit. auctoritate Martini. penul.
 §. de concess. præbend. exemplo l. 2. §. si sit
 agnatus. π. ad Sc. Terrull. vbi quoque poste-
 riorem ius præfert, nempe matrem patri, non
 ex persona propria sed ex persona tertij nem-
 pe fratris, iuxta regulam *si vinco vincentem te*
vinco etiam te l. de accessionibus. π. de diuers.
 temporal. præscript. & de accessionibus. Ca-
 terum ponamus vnicum dumtaxat esse expe-
 ctantem, quæro num semper in beneficio pri-
 mum vacante præferatur? Ac multis omnino
 casibus fieri poterit vt expectatione sua fru-
 stretur: primò, si beneficium aliquod ex causa
 permutationis vacauerit, vt hic; secundo, si spe-
 cialis & expressa fuerit auctoritas Ordinario
 Collatori ab ipso Pontifice Summo tributa
 conferendi beneficia etiam Pontifici reseruata
 vel quomodolibet affecta. c. 2. sub fin. §. de
 præbend. Tertio si præbenda Episcopo tan-
 quam Canonico (licet re vera non Canonico)
 debita vacauerit per ipsius episcopi mortem. c.
 cum in ecclesia. §. de præbend. Quarto, si sa-
 cerdotalis vacauerit præbenda cum tamen ex-
 pectans ipse per ætatem sacerdos esse nondum
 possit c. ei cui. §. de præbend. Quinto si pen-
 dente expectatione expectans interim conse-
 cutus fuerit aliud beneficium cum beneficio
 tandem vacante simul non consistens. Clemet.
 vlt. de rescript. Rursus è contrario fieri pote-
 rit vt expectans non velit neque teneatur ac-
 ceptare beneficium primò vacaturū, sed aliud
 melius expectare sibi sit integrum absque præ-
 iudi-

177

Ex persona
 tertij quis a-
 liquando præ-
 fertur qui ex
 propria non
 poterat.

178

Expectantes
 frequenter
 frustrantur.

179

Expectans
 quando non
 teneatur ac-
 ceptare benef.
 primò vacas.

iudicio suae gratiae expectatiuae, ita ut nulla sibi possit obijci negligentia in acceptando; veluti si quis tertius in fraudem expectantis beneficiolum aliquod admodum tenue resignauerit ut ipsemet vel alius consequeretur beneficium quoddam pinguisimum quod propediem spectatur vacaturum. qualis ars & hic obiter indicatur & in c. ult. §. de renunc. apertissime detegitur. In summa, variè contingere potest ut expectans expectatione sua frustretur, immò morte praeueniat alias omnes quorum ipse mortem expectabat. haud absimiliter apud Horatium

*Rusticus expectat dum defluat amnis, at ille
Labitur & Libetur in omne volubilis aenum.*

Iam videamus quid si beneficia omnium primò vacatura non debeantur expectantibus istis Pontificiis (quos pone nullos amplius esse) sed aliis aliquibus; ecquid haec Bonifaciana constitutio ad illa quoque beneficia pertinebit, an potiùs frustrabuntur permutantes iuxta iuris regulam cuius hic fit mentio? ne res careat exemplis, demus aliquot satis illustria. primò, quaedam beneficia singulariter sibi soli reseruauit Summus Pontifex conferenda, veluti quae contingit vacare vel in ipsa curia Romana vel in itinere Romam versus c. pro illorum. de praebend. d. c. 2. de praebend. c. execrabilis. de praebend. in Extrauag. Ioann. 22. & c. execrabilis. de praebend. in Extrauag. com. quod vnum est idemque cum superiore. secundò, beneficia proximè vacatura nonnunquam cedunt optioni

g iij seu

180
Expectans
rusticus Ho-
ratianns.

181
Quid si bene-
ficia primò
vacatura de-
beantur aliis
quam talibus
Expectanti-
bus Pontifi-
cis, an huic
Bonifacians
sit locus.

182
Reseruata
benef.

183
Optio senio-
rum.

184
Vnio.

seu electioni seniorum confratrum c. vlt. s. de
cōsuetud. tertio fit vt subinde beneficium pri-
mò vacaturum sit vniendum vel iam vnitum
(in tempus nempe quo primum vacare con-
tingerit) cum dignitate quapiam c. consultatio-
nibus. de donat. & Clement. si vna. de rer. ec-
cles. non alien. Quarto, fructus beneficiorum
primò vacaturorum interdum concedun-
tur, ad aliquod saltem tempus, Episcopo pro-
pter graua Episcopatus debita, c. si propter
tua debita. sup. de rescript. Quintò, fit inter-
dum vt beneficium primò vacaturum prorsus
extinguatur seu supprimatur vt numerus in
Ecclesia consuetus, & supra quem fortè sin-
gularibus de causis ad tempus admissi qui-
dam fuerunt, in posterum præcisè & mordi-
cus obseruetur. Quibus casibus, & similibus,
quæritur inquam, an si tale beneficium ali-
quod veniat in permutationem, permutatio
illa exitum habere possit iuxta Constitutio-
nem hanc Bonifacianam, an verò permutan-
tibus omnino frustratis & illusis. i. exclusis,
Constitutionibus hisce modò memoratis de-
beat esse locus. Ac quoniam Constitutio hæc
Bonifaciana contra solos habet locum Expe-
ctantes ambitiosos, quorum causa semper est
odiosa, communis est nostrorum traditio,
superioribus omnibus in casibus hanc Boni-
facianam cessare, perque consequens permu-
tantes hosce sua spe prorsus excidere. Sic Pe-
trus Ancharanus in hunc locum notabili suo
quarto. Dominicus Geminianus quæst. pe-
nult.

185
Fructus va-
caturorum
Episcopo.

186
Ad numerum
consuetum re-
ditio.

187
Expectantes
odiosi.

nult. post Ioann. Andr. postque cæteros in hanc ipsam Constitutionem. quam Sententiam quoque tuetur prolixè Senensis in Tractatu suo de permutatione quæst. 1. cum seqq. aliquot. Quæ sententia probari cum primis videtur per d. c. execrabilis. de præbend. in extrauagantibus tum Ioannis 22. tum communibus. §. Quæ omnia. in verb. per viam (al. per medium) permutationis. vbi permutatio beneficiorum reseruatorum planè prohibetur, adedò vt absque speciali Sedis Apostolicæ mandato non valeat permutatio, ne quidem si legatus Pontificius interuenerit. At, inquis per gratias expectatiuas beneficia quoque reseruantur summo Pontifici; cur igitur & illæ permutationibus non præiudicant? Ratio diuersitatis est, quòd propter ambitionem petentium & extorquentium gratias istas, odiosa sint ideoque restringenda cuncta gratiarum earundem genera; reseruaciones autem omnes generales, ac etiam speciales illæ quæ proprio sunt Pontificis motu, fauorabiles omnino sint atque largioris interpretationis & quidem plenissimæ. cap. quamuis plenissima. c. si motu proprio. & cap. si pluribus. de præbend. in 6. Clement. si Romanus. de præbend. Quibus locis, vt & aliis plurimis, hæc distinctio clarissimè probatur. Ex his non difficulter de nominatis per Vniuersitates iudicari poterit; an & hi permutantibus præferantur in beneficiis ex causa permutatio-

188
Reseruaciones
fauorabiles,
ut et proprius
motus.

189
Nominatio-
nes Vniuersi-
tatum fauo-
rabiles.

tationis in manus Ordinarij resignatis & per consequens vacantibus. Nam cum nominationes illæ tum propter studiorum fauorem tum propter insignem Ecclesiæ utilitatē sint admodum fauorabiles, magis est vt & huiusmodi nominati permutantibus præferantur, nisi priuilegium nominationis ad sola fuerit redactum beneficia per mortem vacantia, vel vsus longus aliud introduxerit, qui procul dubio plerisque superioribus in casibus quoque seruabitur. dico plerisque, quòd contra Summi Pontificis reservationes longi temporis vsus nihil omnino posset, vt ac tanquam cōtra meram facultatem qua Pontifex vti poterit quodcumque voluerit. Verūmenimvero

190
Generalis Doctorum conclusio periculosa.

licet hæc ita generaliter in superioribus quinque casibus concludantur hic ab Ancharano, mihi tamen admodum periculosa videtur & quidem confusa nimis huiusmodi vel conclusio vel definitio generalis. Quamobrem sigillatim de singulis hisce quinque tractandum videtur exemplis, immò quæstionibus, attamen breuissimè. Quod igitur attinet ad exemplum

191
De reservationis, ex causa permutacionis resignatis, an ea prorsus amittantur.

primum, nempe de beneficiis Pontifici Summo quodcumque vacauerint reservatis, certissimum quidē est ea beneficia permutari nullo modo posse d. c. Extrauagant. execrabilis & Quæ omnia, in verb. per viam permutacionis: at quæstionis est in ea re grauioris, an permutatio sic momenti sit nullius vt omnino nihil agatur, & per consequens beneficia permutata penes eosdem permutantes remaneāt, an verò valeat

valeat eatenus quidem resignatio ex causa per-
mutationis interueniens quatenus permutan-
tes beneficiis excidant suis, & Pontificis col-
lationi locus aperiatur. Ac veriùs est, confor-
miùsque superioribus, locum Collationi Pon-
tificis aperiiri; tum quia per huiusmodi resigna-
tionem beneficiù verè vacat vt ex nostro con-
textu liquet satis, tum quòd ordinario Colla-
tori coram quo fit resignatio clausæ sint & li-
gatæ manus per nudam etiam reservationem
Põtificis absque vllò alio decreto iuxta Ioan.
Andr. in c. si eo tempore. 47. §. de elect. &
Senensem d. quæst. 1. cum non liceat inferiori
se se negociis illis immiscere quæ soli Principi
sunt reseruata c. vt nostrum. de appell.

Sed obijcies forsitan aduersus hæc exem-
plum stipulationis dotalis cui tacita semper in-
est conditio *Si nuptia fuerint secuta*. l. stipula-
tionem. 21. 7. de iur. dot. ideoque non secutis
nuptiis euanescere stipulationem: pari ratione
non sortiente suum effectum permutatione,
resignationem nihil operari habedamque pro
non facta: præsertim si præterea nominatim
(quæ tamen per sese tacitè semper intelligitur)
fuerit adiecta clausula talibus plerùq; resigna-
tionibus adijci consueta *nec aliter nec alias nec
alio modo*, quàm permutationis nempe causa.

Respondendù est, non rectè inter sese com-
parari stipulationem dotis & beneficiorum re-
seruatorum permutationem seu potius ex per-
mutationis causa resignationem: quandoqui-
dè stipulatio dotis vt æquissima iure clarissimo
proba-

129
Stipulationi
dotis inesse
conditionem
tacitam.

193
An & resi-
gnationi be-
nificiorum ex
causa permuta-
tionis

probatur, beneficiorum verò Pontifici referuatorum permutatio contra iure clarissimo prorsus est prohibita; quamobrem sic de facto permutantes, dignissimi sunt qui suis excidant beneficiis ita resignatis nisi Pontifex ipsemet in permutationem ex gratia singulari conferat atq; beneficia sic vacantia permutantibus hisce contulerit; quod non est verisimile Pontificem facturum qui non sine causa sibi met ea beneficia suis quibusdam conferenda referuauerit: maximè cum resignantes hi bifariam peccauerint, & in tentanda scilicet beneficiorum referuatorum permutatione contra iuris expressi prohibitionem, & in resignatione ista coram ordinario facienda ubi tamen beneficia solius erant in potestate Pontificis. Ergo quid si reservationem ignorauerint, permutantes vel alter eorum? Benignius est ut ad beneficia sua redire possint. Nam cum bona fides hanc excuset resignationem permutationis causa factam, naturalis æquitas postulat ut conditionis illius tacitæ ratio prorsus habeatur. argum. d. l. stipulationem. 7. de iur. dot. Facit nonnihil huc æquitas cap. si beneficia. suprâ de præbend. Vbi sua redeunt ad beneficia semel dimissa qui per ignorantiam acceptauerant ab ordinariis collatoribus beneficia Pontifici referuata, quamquam hoc interest quòd illic resignatio quidem non interuenerit, ut hic interuenit, sed sola nudaque dimissio quam tamen collatio mox aliis quibusdam facta sequebatur. Sanè qui scientes ac prudentes Beneficia Pon-

194
Quid si resignantes ignorauerint reservationem?

195
Æquitas cap. si beneficia. de præbend. in 6.

cia Pontificis collationi reseruata resignant ex causa permutationis in manibus ordinarij collatoris, per vim salutaris istius clausulæ *nec aliter nec alias nec alio modo* nequeunt iuari; cum certissimum sit illam clausulam apud collatores ordinarios nihil operari in resignationibus illorum beneficiorum quæ solius in potestate sunt Pontificis, quod secus est in beneficiorum ordinariæ collationi subiectorum resignationibus permutandi causa factis. dico permutandi causa factis, eo quod resignationes alia de causa coram ordinariis factæ conditiones planè nullas admittant, quemadmodum plenius inter superiora disputabatur dum de resignationibus in fauorem quæreretur ad c. cum olim. de rer. permut. Cōcludimus itaque, resignantes ex causa permutationis in manibus ordinarij beneficia Pontifici reseruata, nō semper excidere suis beneficiis; quod & interpretes alij nonnulli rectissimè monuerūt, vt apud Senesem est videre d. tract. de permut. quaest. 3. mirè tamen fluctuantem neque rationes viuas reddentem. Sequitur ordine quaestio de beneficiis quorum vacantiū datur optio senioribus ex consuetudine d. c. vlt. sup. de Consuet. Licet enim plerique sentiāt, resignantes ex causa permutationis talia beneficia frustrari seu eludi, nisi quatenus post omnem peractam optionem contenti velint esse beneficiis ad extremum per optantes istos dimissis, veriùs tamen esse tradunt auctores aliquot grauissimi permutantes ipsos omnibus omnino præferri.

Zaba-

196
Vis clausulæ
nec aliter
nec alias
nec alio
modo.

197
Conditionum
nullarum ca-
pases esse re-
signationes
coram Ordini-
nario factas.

198
Optantibus
ex consuetu-
dine. præferri
permutantes
ipfos.

Zabarella Cardinalis in Clementinam vnic. de rer. permut. quæst. 16. nu. 20. post alios antiquiores postque Senensem d. tractat. de permut. quæst. 28. in fin. variè tamen hoc subdistinguentè quod indistinctè reor esse statuedum quâdocumque res est dubia, veluti quando nescitur an optandi consuetudo locum habeat in beneficiis ex causa permutationis vacantibus, an non: quandoquidem plus tribui debet expresso iuri de permutationibus ad exitum deducendis d. Clement. vnic. de rer. permut. quàm tribuendum sit cõsuetudinis interpretationi dubiæ, de optando scilicet in præiudicium & ad exclusionem Expectantiũ istorum Pontificiorum de quibus quidem solis illud capit. vlt. §. de Consuetudine loquitur. Certè d. Clementina vnic. de rer. permutat. nō solūm prohibet beneficia ex causa permutationis resignata conferri aliis quàm permutantibus, verumetiam vult in effectu vt ea conferantur solis permutantibus, cuius cõtrarium fieret si beneficia sic resignata quocumq; modo cederent istis optantibus. Quod meum dictum eõ pertinet vt obstruatur os optantibus qui sophismate quodam nixi dicere fortè possent se beneficia sic vacantia non in vim collationis consequi sed ipso consuetudinis iure, ideoque se d. Constitutioni Clementinæ non contrauenire; quasi quid interesset, scilicet, an de Collatione quæreretur an de quavis alia beneficiorum adipiscendorum ratione consueta, nec enim verba sunt vnquam captanda. nempe

sicut

199

*Clementina
unica de rer.
permut. ver-
ba non esse
captanda.*

sicuti collatio aliis quàm permutantibus facta,
per d. Clementinam est nulla, sic & alia quæ-
cumque prouisio aliis quàm permutantibus
facta debet esse reputariq; nulla. Non obsta-
te ergo sophismate modo memorato, senten-
tiam nostram superiorem iudicamus non æ-
quiores tantum sed & iuri conformiorem seu
de iure veriorem. Tertia quæstio de beneficiis
erat vnitis; in quibus procul dubio sententia
communis erit verissima si resignantes ex cau-
sa permutationis non ignorauerint vnionem,
cùm talia beneficia non magis in permutatio-
nem venire possint quàm beneficia reseruata.
Clement. vnic. vers. Quidam etiam. de excess.
prælat. coniuncta declaratione quadam d. ex-
trauagantis Execrabilis. per Senensem cōme-
morata d. tract. de permut. quæst. 29. Nam
alioquin vnio semper ac in perpetuum per
huiusmodi permutationes posset eludi, quod
ferendum non est vt ibidem Senensis existimat.
Ego tamen id in dubium non sine causa reuo-
co: nam quâumlibet impediatur permutatio
beneficij nominatim & expressè vniti, quid-
nam quæso iustæ tandem causæ poterit adferri
cur suis excidant beneficiis ita permutantes,
ac non potius ea retineant? quid obsecro ma-
gnopere peccarunt? Loquimur hic nempe de
casu quo beneficiorum permutandorum col-
latio pertinet non ad Pontificem sed ad Ordina-
riarium, coram quo permutantes resignatio-
nem faciunt ex causa permutationis & non a-
liter: qua permutatione non sortiēte effectum,
seu

209
Vnio permuta-
tionem ab
impediat vs
Reservatio.

201
Vniendi po-
testas penes
Episcopum.

seu non admittente eam Episcopo, quidni sua beneficia retineant? nec enim hic ea sunt gemina peccata quæ depræhendebantur in tentatis beneficiorum ipsi summo Pontifici reseruatorum permutationibus; cum potestas vniendi sit penes ipsum Episcopum c. sicut vnire, de excess. prælat. & Clement. si vna. de rebus Ecclesiæ non alienandis. Neque verò magni momenti videtur obiectio absurdi non ferendi, de vnione scilicet in perpetuum eludenda per huiusmodi permutationes: quia vel singulariter vnita sunt beneficia certa, vel generaliter vnita primùm vacatura: priore casu permutatio non admittetur quidem, sed abundè tamen suo tempore satisfiet expectantibus vnionem si post mortem demum possessoris vnio sortiatur effectum; posteriore casu poterit vnio compleri per mortem alicuius alterius etiam si permutatio huius aut illius admittetur; quam sanè & ego prorsus admittendam censeo si nimirum verbis vacandi tantùm generalibus facta fuerit vnio citra menciónem expressam vacationis ex causa resignationis vel cessionis cuiuslibet. quãdoquidem permutandi facultas omni iure cõpetens interpretationi dubiæ talis vnionis videtur præferenda, quod secus est in vnione certi beneficij nominatim expressi propter absurdum quod sequeretur ex perpetua permutatione. Caterùm si Pontifex ipse proprio motu fuisset vnionis auctor, haud equidem negauerim quin idem foret hic statuendũ quod in quæstione prima de beneficiis reser-

202
Quid si pro-
prio motu Põ-
tifex ipse fe-
cerit vnionẽ.

referuatis. quanquam re vera resignantes ex
 causa permutationis non æquè peccant hic
 arque in simili beneficiorum referuatorum re-
 signatione. Mihi certè utrobique valdè durum
 videtur ita resignantes excidere planè suis be-
 neficiis. Quæstio quarta, de fructibus benefi-
 ciorum primò vel per mortem vel per simpli-
 cem celsionem seu resignationem seu cadu ci-
 tatem (ducta videlicet in ordinibus minoribus
 vxore) vacaturorum Episcopo ad tempus ap-
 plicandis iuxta cap. si propter. s. de rescriptis.
 & c. si tibi concessio. s. de præbend. & c. pe-
 nult. de verb. signif. iniustissimè mihi videtur
 in hunc ab Ancharano relata catalogum. Nec
 enim dubitandum puto quin permutantes E-
 piscopo præferantur, cùm priuilegium illud
 Episcopi sic accipiendum sit ne vergat in præ-
 iudicium verorum & legitimum possessorum
 viuentium qui non simplicis celsionis vel
 resignationis animo sed ex causa permutatio-
 nis beneficia sua resignant. Sufficit autem sic
 interpretari priuilegium Episcopo obærato
 concessum ut fructus beneficiorum vel per mor-
 tem vel alioqui simpliciter vacaturorum per-
 cipiat ad tempus, non etiã denudet ac spoliet
 canonicè permutantes. Nam quàmuis benefi-
 cium seu liberalitas Principis latã recipiat in-
 terpretationem quando de nullius alterius
 quàm Principis ipsius agitur præiudicio l. be-
 neficium Imperatoris. c. de Constit. Princ. ta-
 men ubi tertij vertitur præiudicium, restrictis-
 sima semper est interpretationis priuilegium.

203
 Fructus benefi-
 ciorum va-
 caturorum E-
 piscopo qui-
 bus in benefi-
 ciis.

204
 Beneficia
 Principis
 Priuilegia
 qualis sint sine
 interpretatio-
 nis.

h l. 2. §.

I. 2. §. meritò. π . ne quid in via publ. vel itin. fiat. immò fuit olim dubitatum, considerata interpretatione talis priuilegij strictissima, num ad magna quoque beneficia pertineret huiusmodi Episcopis concessum priuilegium, an verò ad sola beneficiola parua d. c. penult. de verb. signif. vbi tandem ad magna quoque pertinere declaratur quando generaliter & indistinctè concessum fuit. Simile de nominatis per Vniuersitatem quampiam studiorum reor esse iudicium; quibuscum procul dubio satis agitur præclarè si beneficia vel per mortem vel aliàs absolutè simpliciterque vacantia consequantur, non autem permutantibus vllis vel molesti sint vel negocium temere facestant. Superest sola quæstiuncula quinta de beneficiis extinguendis vel veriùs iam extinctis in tempus quò primùm vacauerint, vt nimirum redeatur ad numerum in Ecclesia consuetum; cuius rei exemplum videmus in c. pro illorum. de præbend. Ergo quid si post huiusmodi statutū Capitulare sua beneficia permutare nonnulli tentent, & ex causa permutationis resignent? ecquid & impedietur permutatio & præterea suis excident beneficiis ita resignâtes, vt videlicet ad numerum consuetum iam nunc redeatur? Equidem sentio permutationē quidem impediri, quòd alioquin extinctionem semper & in perpetuum talibus permutationibus contingeret impediri, contra mentem & intentionem ad consuetum numerum redire volentium; sed resignantes propterea minimè
suis

205

*Nominatis
per Vniuers.
preferri per-
mutantes.*

206

*Extinctio be-
nificiorū vt
redeatur ad
numerū con-
suetum qua-
tenus obstat
permutanti-
bus.*

fuis excidere beneficiis, propter causam in beneficiis vnitis modò memoratam; nisi sic extinctio decreta fuerit vt etiam permutationis causa nominatim & expressè compræhenderetur. immò si contra suum decretum seu statutum semel admiserint aliquem Capitulares vltra numerum constitutum, recessisse censentur à suo decreto, liberrimaque reddetur permutatio quibusuis. arg. cap. pro illorum. de præbendis. vbi Põrifex propterea supernumerariũ cogit admitti quòd Capitulares ipsimet numerum consuetum sponte sua superassent aliàs admissio quodam. qua de re plusculum Senensis quæst. 34. & quæst. 35. de statuto simul quærens iurato, & quidem per Episcopum vel etiam per ipsum Pontificem confirmato. nos ad reliqua tandem pergamus.

207
Statuti Cã-
pitularis ne-
glectio.

Ait Pont. *illos tamen qui secundum formam iuris.* Intelligit Pontifex permutationem canonicam quæ fit ordinario consentiente comprobanteque, secundum iura superioribus capitulis tradita.

208
Forma permuta-
tionis.

Ait Pont. *Sua beneficia.* Quid igitur est sentiendum de beneficiis nondum suis at speratis dumtaxat, vt expectantiũ præbendas primũ vacaturas, ecquid & eas rectè permutabũt expectantes hi? Non videtur; eo quòd in permutatione requiratur datio rei (non spei) pro re l. i. in fin. .n. de rer. permut. l. naturalis. in princ. vers. fin autem rem do. .n. de præscriptis verbis & in fact. act. l. vlt. .n. de condict. cau. dati cau. nõ sec. Accedit, quòd gratiæ tales expectatiuæ

209
Beneficia spẽ
rata vel ex-
pectata pos-
sint permutari.

h ij fin

sint omnino personales, ita ut vacatio futura nulli possit alteri prodesse nec ius expectantis in alterum transferri arg. cap. P. & G. de off. & potest. iud. deleg. ubi ne delegata quidem iurisdictio poterit ad alias prorogari personas, quod plenius explicat Senensis d. Tract. de permut. quæst. 13. Sequitur hinc, & eos qui beneficia quidem habent sed non iure habent, ut Simoniaci vel similes alij legitima seu canonice provisione carentes atque destituti, permutando talia beneficia cum beneficiis aliis causam suam nihilo facere meliorem. Nam tamen si nova post resignationem interueniat collatio nouaque per hanc titulus, mens tamen Collatoris alia non est, nec alia esse iure potest, quam ut ne plus transeat iuris in alterum permutantem quam habuerit permutans alter; qui quoniam nihil habuit iuris, nihil quoque per viam permutationis transferre potuit in alterum. quare pessimo quodam sibi consulit emplastri genere qui pro beneficiis male partis & quaesitis alia sibi pro illis per viam permutationis nundinatur beneficia. Tantè scilicet est momenti beneficia verè esse sua. i. ipsorum permutantium propria seu canonicè quaesita. Meminit huius & idem Senensis d. Tracti quæst. 10. Facit hinc etiam cap. cum venerabilis. de except. ubi pontifex verè rectissimeque scribit, permutationem cum alio quam cum domino vel cum eo qui habeatur loco domini legitime non celebrari. quod ait cum eo qui habeatur loco Domini, pertinere videtur ad bonam fidem permutantis cum altero

210
Beneficiaque
non iure possi-
dentur an ve-
niant in per-
mutationem,
& ex ea inci-
piat iure pos-
sideri.

altero non habente ius ideoque suum recuperare vel potius ad suum redire nequaquam prohibiti, licet alter compermutas omni remedio destituatur. Quidnam de Comendatariis dicitur? poteruntne permutare vel inter se vel cum aliis, nec ne? Non poterunt sine consensu commendantis; eo quod non domini vel quasi domini seu proprietarii sint, id quod hic requiritur, sed administratores duntaxat iique temporarii, donec absolute de beneficio constituantur c. nemo deinceps. §. de Elect. quod post Interp. nonnullos alios antiquiores prudenter adnotavit Ioan. de Selua sui Tract. de Benef. parte 3. q. 33. nu. 2. ne pluribus nunc ociose recedendis immoremur. praesertim cum sit evidens, huiusmodi comendas quae dicuntur, privilegio mere personali quod in alios transire nequit quibusdam solere committi.

Non importune fortassis hoc loco quaeri posset de Prioratibus obedienciarum, qui dicuntur, ab alio videlicet monasterio dependentibus & eius Abbati subiectis, an & hi veniant in permutatione: sed quoniam tales priores ad nutum Abbatis quocumque tempore reuocari possunt, unde obedienciarum dicuntur & ipse prioratus nominatur Obediencia. c. 2. §. prioratus quoque & c. cum ad monast. §. Tales. vers. nec alicui committatur aliqua Obediencia perpetuo possidenda. de statu monach. & can. Regul. nec titulum dicuntur habere perpetuum, superioribus conformiter dicimus permutari prioratus istos vel inter se vel cum beneficiis aliis non posse. nec enim priores isti possunt iure suos appellare Prioratus,

h iij quos

211
*An Comen.
de permuten-
tur.*

212
*Obedienciarum
Prioratus an
permutari
possint, &
beneficia ma-
nualia, &
unde dicatur
manualia.*

quos ad incertissimum tantum tempus habent sibi commissos non autem ad totam suam vitam. Cuiusmodi beneficia frequenter a nostris nuncupantur manualia, fortassis ob id quod semper in manu seu potestate sint & libera reuocatione concedentis. Quidsi quis igitur Prioratum talem a summo Pontifice ad vitam usque suam impetrauerit, maximè extraneus. i. non eiusdem sed alterius monasterij monachus at tamen in monasterium illud unde Prioratum diximus dependere translatus? cuius rei varia semper extiterunt exempla. c. cum singula. §. vlt. §. de præbend. latissimè DD. ad c. vlt. §. de off. ord. & omnium commodissimè Panormitanus in c. ad nostram audientiam. nu. 7. & 8. de confirm. vtil. vel inutil. vbi quaestionem tractat satis quotidianam, ut ipse ait, an Abbas talem Pontificium impetratorem possit reuocare domum. Sed ad nostram quaestionem quod attinet, certissimè est, Prioratum sic impetratum permutari sine cōsensu summi Pontificis nullo modo posse; cum liberalitas hæc Pontificis merè sit personalis contra propriam ac genuinam Prioratum istorum naturam: sed Pontifice permutationem probante & admittente, quidni liberalitas vltèriùs progrediatur? qua de re Senensis d. tract. de permut. quæst. 17. Qui tamen in eo mihi non probatur quod & merè manualia, quantumlibet in totam vitam a Pontifice nondum concessa, rectè permutari putet. quæst. 16. nam quomodo suum poterit vocare Prioratum qui proprius

non

213

*Quidsi Prioratus obediē-
tialis per monachum ex-
traneū ab ip-
so Pont. impetretur ad
vitam?*

non est sed ad incertissimum tempus tantum concessus quasi precario? Nec enim sufficit, ex indulgentia Pontificis posse quid esse vel fieri perpetuum, sed requiritur ut re ipsa per Pontificis gratiam sit iam factum concessumque perpetuum (id est ad vitam usque durans) quidquid proprii seu beneficii seu officii nomine censetur, ut vel ex hoc unico cap. nostri verbulo sua liquidò constat. Nec est vlllo modo simile quod Senensis adfert ex l. sufficit § 6. de condict. indeb. vbi dum incertum est an temporaria sit futura exceptio an verò perpetua, solum repeti potest; ut exempli causa, si debitor pactus fuerit ne à se peteretur donec Titius fieret Consul, atque nihilominus per errorem soluerit non expectato Titij Consulatu; reperet: quia fieri potest ut nunquam Titius fiat Consul sed antea moriatur. itaque fieri posse & iam factum esse habetur eo loco pro iisdem in fauorem condicentis indebitum. quod secus & in obligationibus & in exceptionibus in diem; quia solutum ante diem repeti non potest eo quòd certissimum sit hunc diem quandoque venturum. d. l. sufficit. & l. sub conditone. cum l. nam si cum moriar. de condict. indebiti. Sic fieri quoque potest ut Prioratus huiusmodi nunquam auferatur neque prior ille domum reuocetur, siue per vltroneam Abbatis voluntatem siue per Pontificis confirmationem indubitata; igitur habendus est Prioratus omnis obediens, ex ista superiore Senensis opinione, pro perpetuo poteritque consequenter

214

Fieri quid posse, & factum esse, paria minime sunt.

215

In condictione indebiti, incertitudo exceptionis, an sit temporaria an perpetua facit ut habeatur pro perpetua.

216

Nō idem esse in prioratibus, & quare.

h iij quenter

quenter permutari. Neganda est consecutio; quia non, ut mors hominis est certissima, consulatus incertissimus, ita quoque impetratio prioratus perpetui certissima est, immò incertissima; tantoque incertior quanto contra naturam talis Prioratus insolentior: adeò ut impetratio talis ut plurimum pro falsa habeatur in iis qui Prioratibus illis à proprio sunt Abbate præfecti cap. porrecta. de confirm. vtil. vel inutil. propter odium nempe facti prorsus illiberalis istorum qui contra proprios Prælatos à quibus promoti sunt indignissimè cristas erigunt & obedientiam solenniter votam superbè excutere moluntur aduersus illos quibus ipsimet omnia sua debent accepta referre. Quibus accedit, quòd indebiti conditio summè sit fauorabilis propter æquitatem naturalem liberationibus magis propiciam & addictam, tùm etiam ne quis post eneruatam obligationem, qua tenebatur, indebitè soluens afficiatur damnis; at permutatio functionum seu administrationum vel dignitatum vel præbendarum Ecclesiasticarum cum semper aliàs est odiosa tum præcipuè temporariis atque manualibus istis in beneficiis vel potius administrationibus odiosissima ne dicam flagitiosissima. Sanè si consenserit Abbas in duorum talium priorum commutationem, ut scilicet alter in alterius hinc inde migret locum, non tamen permutatio propriè dicetur hæc mutua vel commigratio vel commutatio, sed mera translatio.

verum

217

*Impetratio
permutatis in
prioratu o-
bedientiali,
pro falsa ha-
betur.*

218

*Quid si consen-
serit Abbas
in mutua
Priorum com-
migrationem
an hæc permu-
tatio sit an
Translatio?*

verum, quid refert, inquis, an per modum permutationis an verò per modum translationis alter in alterius locum succedat? Plurimum refert; quia permutatio fit in formam contractus ex commercio partium, quod in rebus huiusmodi non propriis fieri nequit per viam permutationis quæ solis in rebus propriis vel quasi propriis habet locum, sicut hic est videre; sed Translatio solius fit voluntate factoque superioris transferentis, idque siue translatus ipse petierit hoc ipsum siue non petierit. c. j. totoque titulo de Translat. Episc. Deinde per viam permutationis nihil iuris novi transit in permutantes præter hoc ipsum videlicet solum ius quod ipsimet permutantes hinc inde prius habebant siue bonum & firmum siue non bonum neque firmum, sicuti paulò superius monebatur; sed per viam translationis novum planè ius & peculiare nec aliunde dependens per transferentem confertur quod sola nititur translatione non autem iure vllò quod hi translati antea habebant, perinde scilicet atque si nullos antehac Prioratus habuissent; cum alter alteri per translationem nihil cedat nec alter ab altero quidquam accipiat, contrà quam fiat in permutatione.

Ait Pont. *beneficia*. Latissimè sumenda videtur hic Ecclesiastici beneficij vox, iuxta cap. penult. de verb. signif. qua de re Glossographus ad c. 1. j. de Reg. iur. dummodò non ignoremus de sola nos loqui adsignatione in
h v titulum

219
*Beneficiorum
nomine quid
intelligatur.*

titulum spirituale, sicuti post Laurentium non male notauit Zabarella Cardinalis in d. Clement. vnic. de rer. permut. nu. 10. Quid igitur de pensionibus Ecclesiasticis est sentendum? ecquid & hæ beneficiorū nomine censentur? Non videtur; quia licet spirituale quid habere videantur, vt ad c. cum olim. dicebamus, in titulum tamen minimè dantur: quocirca beneficium cum pensione permutari non posset. De hospitalibus in titulum dari non consuetis (quædam nempe sic dantur) idem statuit ibidem Zabarella nu. 11. sicut & de decimis deque iure sepulturarum. quibus addi potest ius patronatus, omniaque alia id genus iura. cum quibus ob id beneficia permutari nequeunt quod inter sese dumtaxat beneficiorum permissa tandem sit permutatio, nō autem beneficij cum vllō alio spirituali vel quasi spirituali iure; propter cuiusdam quasi nundinationis in rebus huiusmodi spiritualibus visam speciem, & speciei istius odium, de quo satis multa diximus in huius nostræ Commētationis exordio. quin & iure ciuili res vel sacras vel publicas vel religiosas in commercium per se se non venire notissimum est; vnde nec beneficia permutari possent nisi singulariter hoc tādē fuisset permissum, nec nisi singularibus etiam de causis. Quodsi quis crassissimam & rotundissimam clarissimamque beneficij Ecclesiastici propriè sumpti definitionem desideret, sic habeat; *Beneficium Ecclesiasticum* est ius prouentuum ex rebus temporalibus Deo vel

220
Pensiones, hospitalia, de cura, ius patronatus, cū beneficiis non permutantur. qua de re plenius. §. ad Clemēt. ver. beneficia.

221
Beneficiorum permutatio quam egrè admissa.

222
Beneficij Ecclesiastici de.

vel Ecclesiæ dicatis percipiendorum Clericis in perpetuum quoad vixerint propter officia clericalia ritè canoniceque concessum. siue de secularibus quæratur siue de regularibus beneficiis; idque siue dignitatem habeant annexam, siue curam animarū, siue quod aliud officium peculiare, siue denique simplicia sint beneficia nihil tale annexum habentia. Quibus quidem tum definitionis tum diuisionis & subdiuisionis ex verbis, annalia quæ dicuntur beneficia, cum hospitalibus plerisque vel alio simili iure, beneficiorū nomine proprio destitui liquet, quantumuis generali beneficiorum vocabulo non pessimè compræhendantur. Sed horum nunc satis.

fructio, diuisio, subdiuisio.

Ait Pont. *Ad tuam collationem spectantia.*

Quæro, quid si beneficia permutanda non pertineant ad Episcopi (quem Pontifex hic alloquitur) sed alterius alicuius collationem? num permutantibus præferentur expectantes isti Pontificij? Mouit hanc etiam quæstionē Glossographus hic noster, ac in vtramque partem disputat, sed pro negante tandē resoluit, quam & vsus firmavit. Nos actuum nolumus agere, probamus Glossographum, qui cuius est in promptu manibusque teritur omnium. Collationis Episcopalis nempe fit hic mentio quòd facti species Pontifici proposita sic sese haberet, non autem quòd aliud in aliis beneficiis permutandis esset statuendum, sicut omnes nostri Doctores interpretantur. Quanquam non ineptè forsitan dici quoque posset, propterea

223

Quid si Collatio non ad Episcopum sed ad alios pertinet?

224
Cur Episcopalis Collationis hic fiat mentio.

prærea Collationis Episcopalis hic fieri mentionem quòd omnium omnino beneficiorum ex causa permutationis resignatorum collatio solius Episcopi sit, quantumlibet alioquin illorum beneficiorum simpliciter & absolutè vacantium collatio pertineret ad alios; cum solius Episcopi sit, & non inferioris, vel approbare vel improbare beneficiorum permutationes, vt ad cap. cum olim. in verb. resignauit & post resignationem, &c. docuimus. Quotamen in potestatis Episcopalis genere non ineleganter quærat hic aliquis, an vel Consuetudine vel præscriptione ius hoc admittendarum permutationum beneficiarum competere possit inferioribus Episcopo collatoribus. Actra-
 dunt omnes nostri, posse; secuti Glossographum in Clement. 1. de rebus Ecclesiis non alienandis. quod & vsus passim receptus approbavit & ratione nititur non inidonea, quòd nimirum ius hoc totum permutationis beneficiæ merè sit humanum, & quidem non admodum vetus vt liquet ex nostro processu. Ratio rationis reddi posset, quòd inferiores Collatores, plerumque propiùs atque certius nouerint quid & particularibus Ecclesiis & ipsis permutantibus magis expediat, quam semper Episcopus qui particularia queque minutiora non æquè comperta poterit habere. Quod vel de Consuetudine vel præscriptione diximus, notauit & Rebuffus in praxi sua beneficiæ tit. de permut. nu. 20. Quidsi beneficiæ permutanda sint in Ecclesiis ab ordinario
 exem-

225
An inferior Episcopo possit admittere permutationes benef.

exemptis & immediatè subiectis Apostolicæ Sedi? Solius erit Pontificis ex iure quidem communi permutationes admittere; sed ex consuetudine vel ex indulgentia potissimum Pontificis poterit esse Capitis inferioris eandem Ecclesiarum vel etiam Capituli siue Collegij cuiuspiam, præsertim si Pontifex ipsis ordinariam beneficiorum conferendorum facultatem (sicuti fit) indulserit. Consulendus hac in re Glossographus in Clement. vnicam de rerum permut. quod & Rebuffus loco modò memorato minimè silentio præterit. Non obstat argumentum præcipuum à Glossographo pro sententiâ contrariâ prolatum, de vacatione beneficij per resignationem ex causa permutationis, ideoque Pontificios expectantes esse præferendos permutantibus, cum soli sint hic excepti permutantes illa tantum beneficia quorum collatio pertinet ad Episcopum, qua si in cuius vnus atque solius fauorem constitutio hæc emanauerit; quo fauore cessante (dum collatio cuiuspiam est alterius quàm Episcopi) cessare simul Constitutionis Bonifacianæ dispositionem: nam longè quid aliud esse, collationem ad solum Episcopum pertinere, quàm sit collationem ad alios pertinere siue solos siue simul & ad Episcopum & ad alios. arg. l. præcipimus. C. de Appell. & arg. c. cum in illis. & capit. vlt. s. de præbend. Non obstat, inquam; quandoquidè quòd collationis Episcopalis hic fiat mētio, non ad cap. decisionem sed aliò pertinet sicuti modò respon-

226

*In Exceptis
Ecclesiis per-
mutationem
quis admit-
tat.*

227

*Respondetur
arg. in con-
trarium fa-
cientibus.*

spondebatur; quod & ex ipsa Constitutionis huius ratione per Pontificē subiecta satis colligitur, dum verbis utitur hisce, *permutationem beneficiorum qua alias minimè resignassent*. quasi diceret, expectantibus nihil decedit; quia nisi permutatio posset absolui permutantes nolissent resignare sua beneficia sed ea sibi retinere voluissent, & per consequens nihil vacasset pro expectantibus. Quæ ratio generalis est omnibus omnino beneficiis permutandis, siue penes Episcopum solum sit eorundem beneficiorum collatio siue penes alios etiā quoscumque. Quæ dubitatiuncula per Clementinam vnic. eodem tit. penitus est sublata.

228
Clementina
unica h. tit.
quorsum?

Ait Pont. *liberè resignant*. Nota liberā quoque resignationem dici non tantum quæ fit simpliciter & absolutè sed quæ fit permutationis causa; propterea nimirum quod non fiat vi vel metu sed spontanea voluntate. Dic ergo *liberè*. i. spontanea voluntate liberrimoque consensu, non autem quod Episcopo liberum sit cuicumque velit alteri beneficium sic resignatum conferre. Quæ interpretatio menti Pontificiæ mihi videtur conformior quàm quod Glossographus ait *libere*. i. absque Simonia vel ut Simonia vitetur; quamvis hoc per sese sit verissimum, resignationem scilicet ex causa permutationis factam Simoniacè, non sibi permutantes hosce; sed efficere ut expectantibus detur locus. vnde videri prima facie posset hæc interpretatio Glossographi melior quàm sit illa mea superior, nisi quod vox

229
Liberà resi-
gnatio quæ
fit hic intelli-
genda.

liberè

liberè non videatur ad Simoniam vitationem commodè posse applicari. Quorsus ergo seruiet, inquis, hic illa vox? Hùc seruiet, vt si coacta fuerit resignatio nō sortiatur effectū permutatio, sed suum recuperet ille quidē beneficium qui metu resignauit, alter autem resignans qui vim vel metum intulit suum non recuperet beneficium sed id expectanti beneficio tanquam verè vocans conferatur in odium illius qui vim vel metum intulit quique propterea Constitutionis huius benignitate sit indignus. Hæc igitur interpretatio tum voci tum rei præsentī respondet, interpretatione Glossographi non voci sed soli rei congruente.

Ait Pont. *ac sine fraude.* Cuius rei dedimus exemplum superiùs in verb. *beneficia proximè vacatura expectent.* ex cap. vlt. s. de renunc. vbi Dauus quidam larum deceperat hiantem; sed quia fraus interuenerat, Expectanti succurrebatur. In permutatione fit exemplum, vt si beneficium quod proximè sperabatur vacaturum cum aliquo permutetur in fraudem expectantium; veluti, si quis iam iam ducturus vxorem permutauerit beneficium suum quod habebat opimum cum beneficiolo tenui, vt id scilicet vxore confestim ducta vacaret & expectantibus obtruderetur potiùs quàm opimum illud quod habebat.

Ait Pont. *aquitatem præferentes rigori.* De rigore scilicet verè vacat beneficium per huiusmodi resignationem etiam ex causa permutationis, & per consequens expectantibus aperitur.

230
Exemplum
fraudis hic
expectantibus
facta.

ritur locus: Æquitas verò suadet vt ita resignantes præferantur istis Expectantibus, quia non nisi permutationis causa resignarunt. Et hæctenus quidẽ sunt omnia satis alba. Sed scrupulus oritur ex hac re maximus, quem nostros interpretes non sensisse, nedum sustulisse demeror equidem vehementer. videntur enim resignantes hi de iuris etiam rigore præferendi talibus Expectantibus, ita vt hac æquitatis benignitate Bonifaciana non magnopere videatur indignuisse. Nam si tacita subsit conditio resignationi quæ sit ex causa permutationis, quæ admodum stipulatio dotis tacitam continet conditionem *si nuptiæ sequantur* d. l. stipulationem. *π.* de iure dot. si, inquam, tali resignationi subsit conditio hæc *si permutatio sortiatur effectum*, quare non ipso iure vel de iuris rigore præferentur hi resignantes istis expectantibus? vel quare fuit resignantibus his opus hac Pontificis æquitate? Puto respondendum, ratione rerum contractui subiectarum, non esse tam fauorabilem in iure permutationem beneficiorum quàm fauorabilis est stipulatio dotis: quia permutatio beneficiorum, tãquam commercium de rebus verè spiritualibus vel rei spiritali connexis, odiosa semper est; & ob id conditionis huiusmodi tacitæ non magnam habet Ecclesiasticum seu Pontificium hoc ius rationem; sed iuxta naturam resignationis omnis propriam verè vacat beneficium quomodocumque resignatũ eo quòd omnes pactio- nes atque leges & conditiones à rebus huiusmodi

231
Ipso iuris etiã
rigore cur non
præferantur
permutantes
Expectantibus

232
Beneficiorum
permutatio
quàm sit o-
diosa.

modi spiritualibus longissimè semper debeant
abesse. c. ult. de pactis. Vidimus in huius Tra-
ctatus exordio quàm temporibus Apostolicis
& succedentibus etiam seculis plurimis igno-
ræ fuerint beneficiorum permutationes; tem-
poribus tandem schismaticis inchoatæ, lentis-
simeque in usum receptæ; crescentibus nimi-
rum & inualescentibus hominum quorūdam
Ecclesiasticorum insolentiis & audaciis. Quo
fit ut nisi Pontifex maiorem duceret hic æqui-
tatis, quàm iuris rigidi summiq̃ue rationem,
beneficia sic. i. ex causa permutationis resigna-
ta nihilominus debita fuissent Expectantibus.
Qua ratione præter alias multas motus ali-
quando Pius V. Pontifex optimus omnē quo-
rumcumque beneficiorum ex causa permuta-
tionis resignationem voluit haberi pro simpli-
ci & absoluta vacatione, sibi que soli. i. Apo-
stolicæ Sedi vel etiã Superioribus ordinario-
rum collatorum permutationes admittētium
solis, iure nimirum præventionis concessio, re-
seruauerat ac reliquerat; omnibus ordinariis
talibus eadem beneficia vlli mortalium cōfer-
re prohibitis; & quidem resignantibus ipsis ad
eadem beneficia vnquam obtinenda inhabili-
bus & incapacibus in perpetuum iudicatis de-
claratisque; sicut ex quadam liquet ipsius Bul-
la, quam tamen postea temperavit: ita videli-
cet, ne potestas admittendarum iuxta consue-
tum ius permutationum collatoribus ordina-
rijs vel ex iure vel ex consuetudine competens
adimeretur quidē, sed certis legibus ac modis
& limi-

233
Pius V quādo
fuerit abhor-
rens à benefi-
ciorū permuta-
tionibus
admittendis.

& limitationibus regeretur atq; coërceretur; inter quas est & hæc ne leuibus vnquã de causis permutatio beneficiorum vel vlla profus alia resignatio permittatur: vt in Ecloge Bullarum & Motu-propriorum Pij quarti, Pij V. & Gregorij XIII. Lugduni apud Carolum Pefnotium anno Domini 1582. edita videre est pag. 79. & rursus pag. 94. Facit ergo sola materiã contractui subiectã varietas, vt nunc admittantur conditiones & leges nunc nõ admittantur. Prophanã quidem res in commercium veniunt sub quibuscumque legibus atque conditionibus, res autem sacrã sanctã religiosã non veniunt in commercium per sese, sed si quando super iis iure quodam singulari contractus aliqui permittantur, non nisi certis id limitibus conceditur, vt in beneficiorum permutacione passim declarauimus. nẽpe, permutacionem quidem beneficiorum fieri posse, sed absque pactis vllis permutantium, solius nutu collatoris ordinarij. Quocirca nisi Bonifaciana foret hæc ipsa Constitutio, cum Clementina, clausulã nullã salutare possent vel Expectantes istos excludere, vel collatores ordinarios à collatione libera siue quibuslibet aliis quã permutantibus faciẽda prohibere; quantumlibet centies millies dixissent in resignando protestatiq; fuissent hi permutaturi, *Non aliter nec alias nec alio modo.* Verũ, post huius benignissimã beneficentissimãq; Constitucionis Bonifacianã promulgacionem, postq; Clementinã, nihil est inter permutaturos

234
Rerũ prophana-
narum & spi-
ritualium vel
spiritualibus
an exarum
discrimen in
commercis
faciendis.

235
Clausula sa-
lutaris in be-
neficis per-
mutãdis quo-
tidiana.

hac

hac salutari clausula frequentius : immò semper inesse censebitur vt maximè non fuerit expressa, sicuti contingit in stipulatione dotis. d. l. stipulationem. ꝑ. de iure dot. Pergamus ad hanc igitur Clementinam.

CLEMENTINA unic. de rer. permut.

Clemens V. in Concilio Viennensi.

NE concessione iuris utentibus præsertim circa spiritualia illudatur, si qua beneficia ex causa permutacionis ab aliquibus resignata, aliis quam ipsis permutare volentibus conferantur, nullius hoc esse volumus firmitatis.

Miretur fortè quispiã cur hanc fecerit constitutionem Clemens quintus, cùm iam per superiora iura maximèque per Bonifacianam securitati permutatium satis videretur esse consultum. Nam si permutantes præferantur Expectantibus Pontificiis, quibus beneficia primùm vacatura sunt affecta, quantò magis præferentur quibuslibet aliis nullum planè ius ante vacationem vel habentibus vel prætendentibus at sola collatione quæ nunc sit omnino voluntaria spontaneaque nixis, nemine scilicet ordinarium collatorem cogente vel vrgente? Nostros Interpretes hùc non sensisse scrupulum, submiror; igitur ad hunc eximendum sic equidem sentio; Bonifacianam non satis clarè beneficiorù quorumlibet permutatores expectantibus vel aliis quibuslibet præferre: primò quod nominatim loquatur de beneficiis ad solius Episcopi collationem pertinentibus,

236
Quorsum Clementina fuerit opus post Bonifacianã de rer. permut.

i ij tibus,